St. Dr.

594 990

I

QUERELÆ UNIVERSI CLERI IN MAJORI POLONIA

& Diœcesi Posnaniensi

Super

barbara Austriaci militis insolentiâ, in Ordinem Ecclesiasticum & Christi patrimonium exercita

AD

SACRAM REGIAM MAJESTATEM HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ, &c.

Directæ & scriptæ Posnaniæ d. 22. Ian. M. DC. LVIII.

SACRA AC REGIA MAJESTAS,

Domine Dn. Benignissime.

Ecclesiastici Ordines & Clerus Universus Majoris Poloniæ, Diœcesis Posnaniensis, humiles servi & indigni apud Deum exoratores, ad thronum Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ isto libello venerabundi accedimus: Novum id planè neque in hunc diem fortè auditum ab externo Regno ad Regem externum: Sed malorum novitas adeò superat, ut, quod in medicina fieri solet, consumptis frustra veteribus, nova tam & externa remedia necessitate adacti quæramus. Patiatur bonitas Austriaca indolesque alta & Regia Sacræ Majestatis Vestræ, miserias nostras breviter sibi narrari & quam in lubrico Res Sacræ, Clerus istius oræ, postremò fides Catholica, nisi magnitudine animi, pietate, Justitiâ, Clementiâ Sacræ Majestatis Vestræ fulciantur.

Onerari invidiâ auxiliarem militem apud aures Sacræ Majestatis Vestræ minimè velimus, illum præsertim egregiè de nobis meritum, cujus auctoritati ac terrori firmatam rem Polonam libenter imus adscriptum.

Novimus exercitum sine annonâ haberi regique non posse, sed rationes nostræ tot per annos attritæ cogunt ingenuè fateri, nullas omninò vires opesvè nobis suppetere, queis ferendo tanto oneri sufficiamus.

Accedit, legiones per oppida ut plurimum Ecclesiastica dispositas, patrimonium Christi lacerare, annonam & pecuniam ex agris multis exigere, jubereque ut in longinquas stationes alicubi ad decem, quindecim, vel amplius milliaria commeatus devehantur.

Commissionem seu Ordinationem hybernorum nullo Ecclesiastico vocato aut præsente peractam, Sanctuaria Parochorum omni Jure & consvetudine exempta occupari, alimenta eorum consumi, prædia & Curias quasvis Ecclesiasticas à milite insideri, boves, armenta mactari, abigi, non quantum licet, sed quàm libet, & quod acerbum longeque miserrimum, neque ipsismet Dominis ad tolerandam vitam necessaria & propria permitti.

Equidem experiendo didicimus, inevitabilia hæc mala comitesque in bello Provinciarum calamitates ac ærumnas. Magna tamen spe ducimur, exhaustis egentibusque à Clementia Regia Sacræ Majestatis Vestræ præsidium ac levamentum fore.

Ingentem modo animum Sacræ Majestatis Vestræ dignissimum hæc cura exerceat, eversis Ecclesiasticis bonis, Sacerdotes victus inopia (prout nunc evenit) à templis & altaribus discessuros, subituram hæresin, cui pridem validæ in hac provincia compendium ad præsens videtur occasione publici mali partes suas longe proferendi.

Porrò innatæ Clementiæ & Magnitudini animi Sacræ Majestatis Vestræ humillimè & cum lacrymis supplicamus, velit jubeatque Sacra Majestas Vestra cultum divinum & patrimonium Christi relaxatione à tantis tamque impossibilibus oneribus conservari.

Rependet DEus ter Optimus tanto erga nos Sacræ Majestatis Vestræ beneficio longævam vitam, tranquillum Imperium, lata incrementa, immortales terra cœloque triumphos, quod nos animitus oramus vovemusque. Datum Posnaniæ die 22. Ianuarii Anno 1658.

Sacræ, ac Serenissimæ Majestatis Vestræ,
Dni. Dni. Benignissimi,

Servi & exoratores humillimi

Albertus Tholibowskj Episcopus
Posnaniens. *mpp.*
Andreas Blszowskj Præpositus Posnaniensis,
Capituli Ecclesiæ Cathedralis & Cleri
Diœcesis Posnaniensis nomine *mpp.*